

res complectitur praevia ad *Leandrum* Ep. Epistola, textuque factis castigato.

## CCCLXXIV.

U. 268 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 357. f. per duas columnas munde descriptus, et rubricis pernotatus *Gregorii M. Moralium in Job Libros XVIII.* priores complectitur. Praeit *Index* alphabeticus Rerum satis exactus, ut primum fol. 45. Opus ipsum a *Prologo* auspicietur. *Reuerentissimo et sanctissimo fratri Leandro* (Ep. Hispal.) &c. *Dudum te frater beatissime in constantinopolitana urbe cognoscens* &c.

Fol. 47. p. 2. inchoat *Liber I. Inter multos sepe querunt* (quaeritur) *quis libri beati Job scriptor habeatur* &c. Exemplum collatum cum Edit. *Maur. Opp. T. I. col. 1.* probe respondet. *Finis L. XVIII. in ipso suo fonte bibimus* (biberimus). *Et sic est finis huius Operis.* Nempe dimidii; supersunt enim *Libri XVII.*

Theca Codicis intus conuestita est laciniis membraneis *Commentarii* cujusdam rabbinici in *Leuiticum*, et *Propetas* min. absque punctis.

*Scriptor ego serus in fine sedens rudigerus  
Oro Lectores esse mei memores.*

Non omittam, quae manu Sec. XIII. ad Coenobii historiam Codici praescripta sunt. *Ne per oblivionis dispendium uel temporis diurnitatem labilis hominum memo-*  
*Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

## CCCLXXV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3061 XII. Folior. 108. f. per duas columnas luculente, pulcreque exaratus, minio distinctus, cum in principio, tum praecipue in fol. ambiente postico vetusta manu inscribitur: *Liber Sancte marie in paugartenperig*, id est, *Monte Pomerio* Coenobio Ord. Cist. a. 1142. in *Austria* super. fundato, nunc vero sublato. Hanc autem Rubricam praefert: *In Explanatione Moralium Beati Gregorij pape per contemplationem sumpta in Job. Incipit Liber. Sextus. Pars Secunda.* Et ad Librum XI. *In explanatione moralium beati gregorii pape in iob liber XI. pars tertia.* Divisio igitur eadem, ut in edit. *Maur. T. I. Paris. 1705. col. 181.* unde et ad calcem Noster litera quadrata: *Explicit. Liber. XVII. Moralium. Beati. Gregorii. Pape. Urbis. Rome. Pars. III.* Textus pariter ad hanc Editionem comparatus valde emendatus est. Calligraphus, quem coenobitam *Pomariensem* putem, ita sub finem se nobis commendavit:

*ria sub incerto fluctuans super die uel termino consecrationis huius sancte basilice aliquando disentire uideatur, uolumus, ut idem terminus fugata tocius ambiguitatis ne-*

Ggg bula